4.

Nachricht

über das

Königliche Pädagogium zu Halle.

Herausgegeben

von

Dr. H. A. Niemeyer,

Director des Königlichen Pädagogiums und der Franckeschen Stiftungen.

Sechszehnte Fortsetzung.

Inhalt:

I. Coniecturae in Dialogum de oratoribus. Scripsit A. Th. Dryander, Ph. Dr.
II. Statistische Nachrichten über das Königliche Pädagogium, von Dr. H. A. Niemeyer.

Halle,

Druck der Waisenhaus-Buchdruckerei.

1851.

4

I.

CONIECTURAE

IN

DIALOGUM DE ORATORIBUS

SCRIPSIT

ALBERTUS THEODORUS DRYANDER.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-69027/fragment/page=0003

I.

CONIECTURAE

IN

DIALOGUM DE ORATORIBUS

SCRIPSIT

ALBERTUS THEODORUS DRYANDER.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-69027/fragment/page=0004

CONIECTURAE IN DIALOGUM DE ORATORIBUS.

Cap. I. Ita non ingenio sed memoria et recordatione opus est, ut quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli diversas vel easdem sed probabiles causas afferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent, iisdem nunc numeris iisdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis.

Dialogi scriptor in prooemio libelli, quem de causis corruptae eloquentiae Fabio Iusto inscripsit, ad eam quam saepius ille posuerit quaestionem responsurum se esse pollicitus minime se tam magnae quaestionis pondus excepturum fuisse confirmat, nisi id sibi contigisset, ut disertissimorum, ut iis temporibus, virorum de hac ipsa re inter se colloquentium sermoni iuvenis interesset, quorum potissimum haberet quas proferret sententias. Atque illius desiderio eo promtius satisfacturum se esse promittit, quo magis iam non ingenio opus sit sed memoria et recordatione ad ea quae aliquando et excogitata subtiliter et dicta graviter audierit, proferenda, ut servato ordine disputationis quas singuli probabiles attulerint causas, ad formam sui animi et ingenii expressas, eas eodem quasi cursu et itinere persequatur. Hanc enim in iis quae supra posui verbis inesse debere sententiam ex tota qua singulae sententiae altera alteram excipiunt ratione facillimum est ad intelligendum. Quamquam de hac ipsa re ab omnibus fere interpretibus maxima est mota dubitatio, qui offensi imprimis eo quod *singuli diversas vel easdem sed probabiles causas* attulisse dicuntur, fortiore alii alii leniore medicina male affecti illius loci sanitati prospiciendum esse putaverunt. Ac primum quidem iam Muretus et Lipsius ipsa illa verba dubitationis plena *vel easdem* ut interpretatione aliena as-

sumpta expelli voluerunt, quorum sententiam ne nostro quidem tempore defuerunt qui amplecterentur. Sic Ritterus reiicit, adscripta ille quidem ratus ab eo qui in hoc libello easdem a personis allatas invenisse se putaret causas ideoque scriptorem corrigendum susciperet, quum tamen easdem alicuius rei causas esse probabiles id tam sit probabile, ut particula *sed* magnopere offendat, praeterquam quod Tacitum peccaturum fuisse dicit, si personas easdem causas afferentes induxisset eandemque rem bis vel ter exposuisset, quod ne in deperdita quidem illa dialogi parte factum ab eo esse videatur. Ac recte ille quidem, quod offendit in coniunctis *diversis vel iisdem sed probabilibus* causis quae, ut unum afferam, Walthero in eiusmodi locis satis praesidii habere videbantur, qualis est Plinii Epp. I, 20, 12. qui oratoriam facultatem quantum valeat demonstrans, „Aliud, inquit, alios movet, ac plerumque parvae res maximas trahunt. Varia sunt hominum iudicia, variae voluntates: inde qui eandem causam simul audierunt saepe diversum, interdum idem, sed ex diversis motibus sentiunt.“ Verum ut eiusmodi loci nihil quidquam afferant momenti ad defendendam eam quam in dialogi verbis inesse videmus perversitatem, facit illud, quod probabilitatem ad utrumque illud quod ab scriptore constitutum esse falso existimant quasi quoddam genus causarum, et diversarum et aliquam inter se similitudinis prae se ferentium speciem, pertinere apparet, quum contra ii qui simul audierunt orationem iudices saepe diversum, interdum idem sed ex diversis motibus sentire rectissime ita dici possint, ut alias plane diversam ab singulis sententiam, alias eandem ab omnibus, sed ab singulis iudicibus alia de causa latam esse significetur. Huc accedit illud, quod rectissime monuit Ritterus, perperam adiici easdem causas esse probabiles, quum sane eaedem ab singulis allatae probabiles causae fieri non potuerit quin essent probabiles. Itaque ne sic quidem recte intelligi puto locum ut *sed* particula, eadem paene significatione qua *nihilominus* posita, concessionem vel correctionem quandam addat (quam nobis liceat assequi interpretantibus: *bei alle dem*), quam fuisse video *Bachii* sententiam, explicantis: „modo *diversas* et repugnantes, modo *easdem* et consentientes, sed non nisi *probabiles*, numquam leves sive spernendas,“ qua in explicatione praeterea etiam illud mirum videri potest, quod scriptor non duplici particula *vel* adiecta transpositis verbis scribere maluerit *cum vel easdem vel diversas sed probabiles causas afferrent*, quod placuisse *Mosero* (in Annal. Heidelb. 1831. p. 298.) ex Waltheri annotatione cognovi. Ac simili quadam transpositione *Doederleinius* scripsit *quum singuli diversas sed probabiles causas afferrent, vel easdem, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent*, qua praeterquam quod eiusmodi transpositio ple-

rumque non magnopere accedit ad veri similitudinem, sententiae perversitas leniri magis videtur quam removeri, siquidem tum non tam eaedem quam *diversae* sed *probabiles* causae allatae ab singulis esse dicuntur. Deinde in illo ipso *diversae vel eaedem causae,* certe ea ratione qua tueri studuit Doederleinius intellecto, est sane cur vehementer offendas. Qui quum in eam adductus esset sententiam, ut per *causas* intelligendas esse putaret „non tam causas corruptae eloquentiae, quam argumenta quibus pro se quisque confabulantium eloquentiam esse corruptam vel asseveraret vel negaret," diversas vel easdem causas ita interpretatur ut „Apri et Messalae causas *diversas* et contrarias, Messalae et Materni genere *easdem,* specie pro utriusque animo ingenioque dispares fuisse statuat; si quidem Messala, homo acerrimus, praesentem eloqentiam simpliciter incusaverit, Maternus, homo lenissimus, etsi corruptam confessus excusaverit." At primum quidem *causas* vix est ut alias intelligas atque illas, quibus corrupta eloquentiae posterioris aetatis explicetur forma et ratio, in qua ipsa illustranda suam se positurum esse operam scriptor aperte profitetur. Quod si verum est, facile illud quoque apparet quam Doederleinius statuat alterorum inter se aut discrepantiam aut concentum, ei in re ipsa nullum esse aut leve admodum praesidium. Nam Apri cum Messalla sententiae diversitatem quomodo commemorare scriptor potuerit difficile est sane ad intelligendum, quum ille suae aetatis eloqentiam prioris saeculi arti oratoriae ulla ex parte cedere adeo non largiatur, ut antiquae illius tarditatem, ieiunitatem, tumorem prae huius planitate, ubertate, alacritate maxime contemnendam esse quovis pignore contendat. Quae quum ita sint, visum mihi est alia quadam ratione illius loci occurrere perversitati, uno vocabulo mutato, quod propter compendii similitudinem facillime in libris manu scriptis potuit commutari. Scriptum enim fuisse coniicio: „cum singuli diversas vel easdem *sibi* probabiles causas afferrent." Tum rectissime habet, opinor, sententia, qua probabiles quas singuli attulerint causae, diversae vel eaedem fuisse dicantur, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent. Nam postrema haec verba, si quid video, falso intellexit Orellius, qui lectori significare voluisse dicit scriptorem, se quoad eius fieri potuerit servasse cuiusque colloquentium proprium dicendi genus, ita ut hinc quoque grata variatio oriretur. Quae ut per se ipsa apta est sententia et accommodata, ita non respondet ei qua scriptori uti placuit verborum conformationi, qua necessario dicendum fuit: dum formam *reddant*, non *redderent*. Quamquam non ita differt ea quam scriptor praetulisse videtur sententia, ut singulos specie diversas, re ipsa easdem causas attulisse diceret, nisi quas ad sui ipsius animi et ingenii formam accommodarent. Atque illam

sententiam adiecta particula *dum* significari potuisse is facile, opinor, concedet, qui illud consideraverit, scriptorem qui diceret illos diversas vel easdem attulisse causas, *dum* formam sui quisque et animi et ingenii redderent, ad colloquentium consilium accommodare maluisse orationem, potius quam ut sua ipsius sententia de causarum ab singulis prolatarum natura ac ratione ferret iudicium. Itaque *dum* particula eadem significatione posita est, qua saepius *dummodo* dici constat, qua de re, ne longus sim, satis habeo attulisse Handium in Tursell. Vol. II. p. 324. 327. Iam reliquum est ut de particula *vel* dicendum videatur, qua adiungi solent ea quae ad corrigendam vel restringendam sententiam sunt apposita, vel ea quae utrum hac an illa ratione intelligantur ad ipsam sententiam nihil videtur afferre momenti. Sic apud ipsum Ciceronem legitur pro eo quod saepius invenitur *vel potius*. Vid. Cic. Tusc. II, 20. „summum bonum a virtute profectum *vel* in ipsa virtute positum." II. 24. „Non sentiunt viri fortes in acie vulnera *vel*, si sentiunt, se mori malunt, quam tantillum modo de dignitatis gradu moveri." Ac saepius etiam apud posterioris aetatis scriptores legitur, ut apud Quintil. I, 10, 5. „Nam et sapientem formantes eum, qui sit futurus consummatus undique, et, ut dicunt, mortalis quidam deus, non modo cognitione coelestium *vel* mortalium putant instruendum cet." VII, 1, 41. „sed plerique eloquentiae formam affectantes contenti sunt locis speciosis modo *vel* nihil ad probationem conferentibus" IX, 4, 115. „Neque vero tam sint intuendi pedes, quam universa comprehensio: ut versum facientes totum illum decursum, non sex *vel* quinque partes, ex quibus constat versus, aspiciunt." Sic hoc quoque loco iuncturam qua *diversas vel easdem* causas probabiles attulisse singuli dicuntur ineptam esse adeo non Orellio concedo, ut re accuratius considerata facile perspectum iri existimem, illam non sine ingenii aliquo acumine admisisse scriptorem, qui causas quibus ii quos sermonis participes fecit corruptam suae aetatis eloquentiam demonstrare student: et depravatam puerorum educationem, et mutata exercitationum genera, et libertatis reique publicae conversae formam — sane omnes illas quidem in commutata temporum ac studiorum ratione positas — ita ab singulis dispositas ac prolatas voluerit, ut tamquam magni alicuius amnis flumen in rivulos diductum, sic illi totius depravatae reipublicae et eloquentiae praecipuas quasdam formas ac species, ut cuiusque et animi et ingenii ferret forma, persequerentur. Neque illud videtur praetermittendum esse argumentum, quo ut liceat uti nuper virorum doctorum effectum est sagacitate et industria. Nam quum intellectum esset, priorem illam orationem, qua Maternus poeticorum studiorum oblectamenta contra M. Apri obiurgationem defendens acerrimum se praestat libertatis propugnatorem, mirum quan-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-69027/fragment/page=0008

tum distare ac discrepare ab ea, qua postea sub finem dialogi dominationis laudes praedicaverit amplissimas, fuerunt qui praeter lacunam in extremo capite tricesimo quinto codicum fide et auctoritate comprobatam, etiam in capite quadragesimo laceratum esse librum ita statuerent, ut Iul. Secundi totam intercidisse opinarentur orationem, quam postea demum Maternus videretur excepisse. Quorum sententia quibus argumentis nuper a doctis refutata sit cum longum esse ducam accuratius persequi, illud satis habeo commemorasse, luculenta evictum paene videri argumentatione, praeter ea quae in lacuna illa, ne ipsa quidem ita magna, fuerint posita, extremam illam dico Messallae et primam Materninae orationis partem, antiquitus nihil quidquam oblitteratum esse et obscuratum. Atque eam quae tum restat inter utramque Materni orationem diversitatem cum alii tum nuper *Ecksteinius* in iis quae in dialogum de oratoribus scripsit Prolegomenis p. **31.** sq. eo quo solet ingenii acumine et sollertia ita explicandam esse demonstravit, ut Maternus ad suam de illa quaestione sententiam significandam in extrema posterioris orationis parte ironia dissimulantiaque usus esse intelligeretur. Tum vero vel eorum de quibus agitur verborum obscuritati nova quaedam lux videtur affulgere, quae uti ad diversam quam commemoravit Doederleinius et ingenii et animi formam colloquentium sunt referenda, ita iam eo licebit interpretari, ut alter veram suam ipsius sententiam aperte significare, alter, vel suo ipsius vel scriptoris quodam artificio, quae nimia loquendi libertate imminere sibi videret pericula, ea totius qua veram animi sententiam tegeret et obscuraret conformatione depellere voluisse existimetur.

Cap. VII. Tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus adscendere videor, tum habere quod, si non in alio oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit.

Postquam M. Aper summis laudibus eloquentiam extollens omnino significavit, nihil illa arte ad utilitatem fructuosius vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam excogitari posse illustrius, quas universas indicaverat virtutes, eas singulas quasque spectatas dum persequitur, id agit ut eloquentiae laude qui excellat quanta voluptate perfundatur accuratius demonstret. Atque illam ut ex auditorum freqenti consessu et corona et ex splendidissimorum qui auxilium oratoris implorent hominum cultu et observantia, ita ex togatorum comitatu et egressu eaque qua in ipsis iudiciis prosequantur veneratione ita percipi affirmat, ut

multo maior tamen laetitia in felici ipsius orationis eventu videatur esse posita, quae secretior et tantum ipsis orantibus nota imperitae multitudinis oculos et animos fugiat. Ac sibi ipsi quidem non senatorii ordinis honores oblatos, non quaesturam aut tribunatum aut praeturam novo homini nec in favorabili civitate nato tributum tantum umquam attulisse gaudium et iucunditatem, quantum causam aliquam apud centumviros feliciter oratam, aut apud principem ipsorum libertorum et procuratorum defensionem. — Sequuntur iam illa quae supra posui verba, quae corrupta esse eo minus licet negare, quod in codicibus non *habere* sed *abire* scriptum legitur. Neque quemquam tueri studuisse cognovi praeter Nissenium, qui in Diurn. antiq. 1841. p. 862. recepta illa Mureti coniectura *habere* verba *in alio* pro *alias* posita intelligi voluit, quemadmodum apud Tac. Ann. XIII, 56. legi dicit „[Ampsivarii] cum Chattos, dein Cheruscos petissent errore longo, hospites egeni, hostes, *in alio*, quod iuventutis erat, caeduntur," unde etiamsi sana sint verba, quod licet sane dubitare, nihil commodi ad nostrum locum videtur posse redundare, in quo minime de *solo* alio vel alieno agitur (quod ibi eo facilius licuit subaudiri, quum antea varii nominati essent populi, quorum in agros Ampsivarii expulsi nequidquam dicuntur confugisse), sed laetitia significatur, quae nisi per se ipsa oriatur, extrinsecus quibusdam allatis honoribus aut commodis nemini umquam oratori possit contingere. Itaque rectissime eos quidem sensisse existimo, qui quam loci illius integritati librariorum negligentia adspersam putarent esse labem, eam coniecturae tollere conarentur probabilitate. Ac discedunt illi quidem in duo potissimum genera, quorum alteri numinis vel dei alicuius mentionem factam fuisse, alteri ipsius naturae, ingenii, animi vel nativitatis requiri opinantur commemorationem. Sic, ut aliquos certe commemorem — nam longum est omnes — *Silligius* in Ep. ad Groebelium data, quam ipsam mihi inspicere non licuisse doleo, proposuit: *quod si non numine aliquo oritur*, quam firmari putavit coniecturam verbis cap VIII: „ipsa eloquentia, cuius numen et coelestis vis multa quidem omnibus saeculis exempla edidit, ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint," in quibus aut *numen* alia plane significatione aut ea dictum esse apparet, quam ad hunc locum referre si volueris miro quodam modo sententiam scriptor elocutus esse videbitur. Cui cum in illo loco placuerit ipsi eloquentiae numen et vim qandam coelestem tribuere, cuius beneficio homines humili loco orti ad summum dignitatis et fortunae evecti fuerint fastigium, hic contra non eloquentiae ipsius numen et vim coelestem, sed laetitiam et gaudium oratoris numine aliquo divino effectam itaque extrinsecus quodammodo allatam significaret, quod sane est eiusmodi, quod cum illo loco nulla

ratione possit comparari. Huc accedit quod rectissime videtur adnotasse Doederleinius, non satis apte dici *oriri* numine aliquo quod *dari* vel *offerri* multo dicatur simplicius et distinctius. Denique in ipsa haereo sententia, quam ea quam supra significavi sententiarum coniunctione diligentius considerata, quam sit aliena facile erit ad intelligendum. Minime enim hoc loco eam licet Apro persequi sententiam, ut nisi divini alicuius numinis gratia ac beneficio neget oratorem posse evadere praeclari artificii laude insignem, qui id potius demonstrare animum induxerit, omnem omnino qui extrinsecus afferatur honorem et gloriam longissime cedere ei quam orator de felici orationis eventu ingenii virtute impetrato in se ipse percipiat voluptatem. Quod ipsum etiam apud Quintilianum commemoratum legitur qui in Inst. Or. X, 7, 17. „Adeo, inquit, praemium omnia spectant, ut eloquentia quoque *quamquam plurimum habeat in se voluptatis*, maxime tamen praesenti fructu laudis opinionisque ducatur.“ Eodem nomine etiam alterorum reprehendenda est sententia, qui oratorem *natura* vel *ingenio* accepisse volunt, quod non codicillis dari neque cum gratia umquam venire posse dicitur. Quo in numero est *Doederleinius*, qui quam Pithoeus molesta ac putida mutatione *alvo*, probata illa quidem Casp. Barthio (Advers. XLIV, 8, p. 2000.) et Oudendorpio (ad Apul. Met. III. p. 227.), intrudere studuerat sententiam, eam ingeniosa quadam coniectura *si non in natali oberitur* reddere scriptori conatus est, qua praeterquam quod in ipso illo *natali* est quod displiceat (in quo vix inesse potest quod ille voluit Horatianum illud [Carm. IV, 3]: „Quem, tu Melpomene, semel Nascentem placido lumino videris), ne apta quidem videtur evadere sententia. Et M. Aprum cap. X. non quemlibet, ut ait ille, ad studia oratoria excitare, sed eos solos qui ad eam artem *nati* sint, ut Maternus, id quidem ut per se ipsum rectissime habet, ita quid huc valeat non satis me intelligere ingenue profiteor. Quod recte perspexit ille quem honoris causa appello *Bernhardyus*, qui in Encyclop. phil. p. 134. scribendum esse coniecit *quod sine nomine alieno oritur* vel *paritur*, quamquam, quod pace Viri Clarissimi dicturum me esse spero, et in nomine alieno dubius haereo, et duplex illa adiuncta particula *nec* pro eo quod concinnius videtur *aut cum gratia venit* minus mihi arridet. Quae quum ita sint, nec illud quod compendii similitudine ad antiquam scripturam prope accedit Freinshemii propositum *si non in animo oritur* satis distincte ac proprie dictum esse facile largiar Orellio, in eam incidi suspicionem ut scribendum esse coniicerem: *quod si non in proelio oritur*, quod ipsum ut compendio usitato scriptum (*plio*), litteris a et p inter se commutatis facile potuit corrumpi in illud quod in omnibus codicibus legitur *alio*, ita sententiarum qua altera ex altera

suspensae sunt rationi, si quid aliud, est accommodatum. Significat enim Aper voluptatem *in ipsa causae oratione* positam, qualem supra accuratius erat persecutus tamquam secretiorem et tantum ipsis orantibus notam. Ita sententiae ratione firmata et explicata restat ut de ipso illo quod restituendum censui vocabulo quaeratur diligentius, quo facile patet significari multiplicia illa armis facundiae (Quintil. Inst. II, 16, 10.) oratori ineunda quasi quaedam certamina. Et ut saepissime apud antiquos oratoriam artem cum bellica comparatam invenimus virtute, oratores cum pugnantibus, orationem cum armis,*) ita in ipso de quo agitur libro saepissime scriptor usus est eiusmodi comparationibus. Sic cap. 10. M. Aper Maternum ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera *proelia* se vocare profitetur, et Messalla cap. 34. apud maiores iuvenem ad aliquem qui principem in civitate locum teneret oratorem deductum hunc sectatum esse eiusque omnibus dictionibus sic interfuisse et altercationibus, ut tamquam *pugnare in proelio* disceret. vid. praeterea cap. 5. 26. et 32. quae verba transcribere longum est. Denique huc pertinet quam diligentissime persecutus est eloquentiae cum arte bellica comparatio cap. 37. de quo loco infra disputabitur accuratius. Itaque cum appareat per se ipsum rectissime habere quod posuimus *quod si non in proelio oritur*, tamen est cur hoc loco simpliciter positum aliqua ex parte possit offendere. Sed quamquam non apertis verbis in iis quae antecedunt forensium certaminum proelia habemus commemorata, neque eiusmodi qualem supra significavimus artis oratoriae cum arte militari, aut oratorum cum proeliatoribus instituta invenitur comparatio, tamen eo minus in vocabulo illo simpliciter posito haerendum esse existimo, quum vel certa quadam significatione non adiecta ex tota sententiarum ratione verborum intellectus ambiguus aut obscurus esse nequeat. Simili ratione simpliciter illo vocabulo usus est Cicero in Epp. ad Att. I, 16: „Quaeris ex me quid acciderit de iudicio (Clodiano de incestu, quo Clodius corru-

---

*) Sic *arma* tenere semper dicitur, quibus vel tectus ipse esse possit vel provocare integer improbos, vel se ulcisci lacessitus (de Or. I, 8, 32.); et verbis tamquam *armis* ad aptam compositionem et decentiam, sententiis vero uti ad gravitatem orationis (de Or. III. 52. §. 200. cf. cp. 54, §. 206.) aut Cicero non fortibus modo sed etiam fulgentibus *armis proeliatus* esse in causa Cornelii (Quintil. Inst. VIII, 3, 3.) aut oratio quae astu caret pondere modo et impulsu *proeliari* ostenditur (IX, 1, 20.) et inturus frequenter forensium certaminum *pugnam* iam in schola victoriam spectare et ferire vitalia ac tueri scire iubetur (V, 12, 22.), aut denique oeconomica totius causae dispositio velut imperatoria virtus esse dicitur copias suas partientis ad casus proeliorum, retinentis partes propter castella tuenda, custodiendasve urbes cet. (VII, 10, 13.).

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-69027/fragment/page=0012

ptorum iudicum sententia erat absolutus) quod tam praeter opinionem omnium factum sit: et simul vis scire, quo modo ego minus quam soleam *proeliatus* sim. Ego enim, quam diu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter et vehementer *proeliatus* sum, ut clamor concursusque maxima cum mea laude fierent;" qui qua imagine iam antea nulla eius significatione facta usus erat, eam in sequentibus persequitur: „quas ego pugnas et quantas strages edidi! cet." Quod reliquum est, vix est quod etiam moneam, tum rectissime inter se opposita esse praemia, et gaudii quo causa felici successu orata oratoris animus perfunditur, et honorum et gratiae, quibus ipse imperator eum qui fortiter ac strenue rem suam gessit ornare solet etprosequi.

Cap. XXI. Equidem fatebor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere, nec unum de populo Canuti: aut Atti de Furnio et Toranio quique alios in eodem valitudinario haec ossa et hanc maciem probant.

Ita haec verba apud Orellium scripta leguntur ad optimi illius Perizoniani codicis fidem diligenter expressa, a quo reliqui codices nihil discrepant, nisi quod in cod. Farnesiano, omisso *quique*, pro *Toranio* nomen scriptum invenitur *Coranio*. Quamquam quid illa verba sibi velint non facile dixeris. Marcus enim Aper postquam exposuit vix posse dignosci inter priscos illos et suae aetatis oratores, quippe qui, si verum quaeras et spatium annorum ad infirmitatem humanam referas, admodum parvo temporum intervallo disiuncti sint, id studet demonstrare, tantum abesse ut unus omnino eloquentiae sit vultus et facies, ut plures species in ipsis illis antiquis deprehendantur oratoribus. Neque tamen illas omnes laude esse dignas et approbatione, aut cum suae aetatis more et consuetudine comparandas. Ita vel celebratissimos oratores vitiis quibusdam esse infectos ac depravatos, ut vel audientium aures fastidio quodam afficiant et satietate. Quam sententiam sequuntur ea ipsa de quibus agitur verba, quae misere corrupta ac fortasse lacerata esse ad unum omnes recte affirmarunt interpretes. Ac primum quidem multis de causis dubitationem movent illa ipsa quae scripta leguntur nomina, quae si non falsa, at certe ignota vel obscura, omnino ea ratione videntur esse posita, ut singula quaeque quo pertineant vix ullo modo liceat intelligere. Cui obscuritati qui aliquam studuerunt lucem affundere, alii aliam secuti sunt emendandi rationem, quae aut vehementer ab ea quam codicum fide testatam habemus scriptura discreparet, aut eam efficeret orationis conformationem, quam vere a scriptore profectam esse vix ac ne vix quidem tibi persuadeas. Quod ne temere aut ar-

roganter dixisse videar, aliqua certe exempla afferendi iniunctam mihi video iniucundam quandam necessitatem. Et *Lipsius* proposuit: *nec unum* (vel *unius*) *de populo, Canutii aut Attii de Furnio et Toranio quique alii*, quod vix habet quo commendetur, contra *Gronovius* scribi iussit: *nec unum de populo Canutium aut Arrium Furniumve nominabo, quosque alios in eodem valetudinario haec ossa et haec macies probant*, rectissime ille quidem et sagacissime, dummodo eiusmodi depravationis in libb. mss. ullum appareret vestigium. Multo fortioribus etiam sanandum esse locum censuerunt remediis *Schurzfleischius* et *Broterius*, quorum ille *nec unum de populo Cinctutum Nattam Ennii, Andronici, quique alii sunt in eod. val., haec ossa et hanc maciem probare*, eidem hariolationi indulgens atque illi qui in Attii et Turanii nominibus *Attium* et *Pacuvium* sibi deprehendisse videbantur; Broterius contra ex supplemento auxilium repetens scribi maluit: *nec unum de populo sed rusticum videri qui Canutio aut Arrio delectatur Furniove aut Toranio quique alios in eod. valet. haec ossa et hanc maciem probant.* Quibus accessit nuper *Rupertius* qui coniecit: *nec unus de pop. Can. aut Arrii et Furnii et Coranii, quique alii in eod. valet. haec ossa et hanc maciem probant*, quae coniectura nonnullis probata iisdem tamen quibus ceterae omnes reprehendenda esse videtur nominibus. Magis sane poterit videri probabilis *Silligii*, qua (in Ep. ad Groebelium 1841.) scribi voluit: *nec unum de populo loquar, uti Canuti aut Arrii de Furnio et Coranio orationes, quique alias in eod. valetud.* cet. At minime potest dici *loquar unum de populo*, quemadmodum dicitur aliquis „loqui portenta“ (p. Mil. 23, 63.); vel „nihil nisi classes et exercitus“ (ad Att. IX, 2, 3.); vel „tria genera cupiditatum“ (de Fin. II, 26.); vel audacius „singulas urbes“ (Liv. V, 54.), aut legitur apud Tac. Hist. IV, 12. „caesos exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias, non ut mala loquebantur.“ Ac ne illud quidem quod apud eundem est Tacitum Ann. XVI, 22. „ut quondam C. Caesarem et M. Catonem, ita nunc te, Nero, et Thraseam avida discordiarum civitas loquitur,“ aut quod apud ipsum Ciceronem in Parad. VI, 3, 50. „M'. Manilius patrum nostrorum memoria — ne semper Curios et Luscinos loquamur — pauper tandem fuit,“ quidquam habet momenti ad firmandam Silligii illam coniecturam, siquidem *te et Thraseam loquitur civitas* et *semper Curios et Luscinos loqui* eadem ratione dictum esse apparet, qua idem scriptor in Hist. 1, 50. „nec iam recentia saevae pacis exempla sed repetita bellorum civilium memoria captam totiens suis exercitibus urbem, — Pharsaliam Philippus et Perusiam ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur.“ *Loqui* enim nihil est aliud quam *crepare, in ore ferre*, quod in illum in quem Silligius inseri voluit lo-

cum minime cadere ex tota sententiarum coniunctione facile perspicitur. Quam offensionem evitavit *Ritterus*, aliquando coniiciens: *nec unum de populo Canutium aut Arrium Furniumve curo nec alios*, quamquam ne illud *curo* quidem satis ad sententiam videtur esse accommodatum. Reliquum est ut de *Doederleinii* suspicione dicendum videatur, qua scribendum coniecit: *Nec unum de populo (etsi Canutii aut Attii Decio Furnio et Coranio, aliis in eodem valetudinario, haec ossa et hanc maciem approbant); ipse mihi Calvus* cet., quam ita studet firmare ut Furnium et Coranium „recentiores Aproque aequales opinetur sive oratores sive rhetores, antiquae eloquentiae admiratores, ceterum obscuros et contemptim ab Apro nominatos." At praeterquam quod haec omnia mirum quantum ab codicum scriptura discrepant, etiam quae explicandi causa adiecit mera nituntur atque ea quidem coniectura, qua locus ille misere affectus minime videatur posse sanari. Nam quid erat quod Furnio et Coranio, quos et ipsos volunt fuisse oratores, Canutiorum et Attiorum probari orationes is adiiceret, qui non aliis sed sibi ne antiquos quidem omni ex parte satisfacere oratores demonstratum iret? Has mihi diu ac multum agitanti mente difficultates aliam plane visum est inire emendandi viam, quam rectene sim ingressus, ut in re difficillima et ab tot tam praeclaris doctis nequidquam tentata vehementer sane licet dubitari, ita eam qua opus est veniam eo magis impetraturum me esse spero ac prope confido, quo intentiore cura densissimas illas quibus offusa veritas iacet caligines ut aliquantulum dispellerem secutum esse prae me fero. Ac primum quidem id videtur apparere, non recte posse scribi: „Canutii aut Attii *de* Furnio et Coranio," sive adiecto vocabulo *orationes* sive omisso. Quamnam enim quaeso dixeris orationem Canutii *de* Furnio? Quis umquam eiusmodi dicendi ratione est usus, quam ne ipsum dialogi scriptorem quidem aliis locis admisisse facile invenies. Nam illa ipsa verba sequuntur haec: „Quotus enim quisque Calvi *in* Asitium aut *in* Drusum legit? at hercule in hominum studiosorum moribus versantur accusationes quae *in* Vatinium inscribuntur." Neque aliter habet quod eodem est in capite: „nisi forte quisquam aut Caesaris *pro* Decio Samnite aut Bruti *pro* Deiotaro rege libros legit," itemque dicendum sibi esse vidit scriptor cap. XXXIV. „Nonodecimo aetatis anno Lucius Crassus Gaium Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio Gaium Catonem, non multum aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus." Huc accedit quod illud ipsum *Canutii aut Attii de Furnio et Coranio* ita ambigue est dictum, ut non appareat, uter de utro dixerit orator. Neque illa ipsa verba „nec unum de populo cet." quae nulla ratione cum antecedentibus aut insequentibus possunt con-

iungi, viri docti recte ita defendisse videntur, ut per anacoluthon, cui hic quidem vix videtur esse posse locus, ab antecedentibus disiuncta esse statuerent. Unde licet coniecturam capere, in ipsis illis nominibus aliquid peccatum esse a librariis. Iam quod ad ipsa nomina attinet, interpretes fere omnes dubitaverunt non minus de Attio, quam de Furnio et Toranio. Et quamquam in forma nominum nihil est quod offendat, tamen utrumque et Furnii et Toranii nomen quibus inditum invenitur hominibus, eorum de oratoria arte nihil usquam habemus commemoratum. Aliter videtur res habere de Attio, quem interpretes adeo nesciunt quo referant, ut vel non desint qui ipsum nomen commutandum esse sibi persuaserint cum Q. Arrio, eo quem a. 682. a Spartaco devictum et in petitione consulatus a. 695. a Caesare destitutum ipse Cic. Brut. c. 69, 242. M. Crassi exemplum secutum, multorum obedientem tempori multorumque vel honori vel periculo servientem etiam in patronorum sine doctrina, sine ingenio aliquem pervenisse scribit numerum, illius iudicialis anni severitatem quasi solem illum quidem non perferentem. Intelligendus est autem, nisi egregie fallor, T. Attius ille Pisaurensis, cuius accusationi respondisse pro A. Cluentio dicit Cic. Brut. cap. 78, 271. „qui et accurate dicebat et satis copiose, eratque praeterea doctus *Hermagorae* praeceptis: quibus etsi ornamenta non satis opima dicendi, tamen ut hastae velitibus amentatae, sic apta quaedam et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur.“ Quem quamquam saepius in ipsa pro Cluentio habita oratione commemorat Cicero, vix tamen inest, unde de eius eloquentia qualis fuerit non modo certum ferre iudicium, sed aliquam capere liceat coniecturam. Ac primum quidem illud apparet, Attium illum Pisaurensem bonum fuisse adolescentem (cap. 57, 156.), nec imperitum aut rudem, sed magna prudentia, usu atque exercitatione praeditum (cp. 31, 84.), quamquam non ita clarum et illustrem eum fuisse quum per se consentaneum sit, tum ex iis verbis quae cap. 54, 149. leguntur clarius etiam videtur apparere. Cicero enim: „Ego, inquit, mea existimo interesse me nulla in disputatione ab Attio videri esse superatum. Non enim mihi haec causa sola dicenda est. omnibus hic labor meus propositus est, quicumque hac facultate defensionis contenti esse possunt.“ Eloquentia eum *deplorare* damnationem Oppianici (cap. 24, 65.) et *multis verbis* egisse dicit Cicero (cp. 58, 160.), iudicem, quod ei videatur, statuere et non devinctum legibus esse oportere. Quo nomine ab ipso Cicerone carpitur, quamquam et hic et in aliis orationis partibus non ea qua fere in adversarios invehitur atrocitate, neque ipsum aut verba ad irridendum aut despiciendum proponere studet. Neque alia ratione quae praeterea ad diluenda crimina affert dicta invenies, ut illud, quo non

posse affirmat Fabricios nocentes esse condemnatos (cap. 23, 62.), aut Bulbi, Popilii, Guttae iudiciis nullam contra Cluentium moveri posse suspicionem (cp. 36, 98.), aut quo reprobat adversarii sententiam, indignum esse facinus, si senator quempiam iudicio circumvenerit, legibus eum teneri: si eques Romanus hoc idem fecerit, non teneri (cp. 53, 145.); vide etiam — nolo enim singula crimina Attii ab Cicerone refutata persequi accuratius — cap. 24. 36. 48. 52. Unum fortasse exceperis locum *), quo Cicero in Attium invectus est vehementius, quod quam antea Staienus, quum faucibus premeretur, excogitavisset fabulam, pecuniam Staieno ab Oppianico datam esse non ad corrumpendum iudicium, sed ad conciliationem gratiae, eam iam ipse defendisset. Ita quum praeter illud quod *multis verbis* (cap. 58.) sententiam suam evicisse dicitur Attius (atque ne illud quidem fortasse de toto eius genere dicendi licet interpretari), nihil quidquam in Ciceronis oratione legatur, quod ad eloquentiae eius speciem illustrandam pertineat, aliis argumentis quam protuli coniecturam firmandam mihi esse intelligo. Cui sane videtur esse quo aliquid certe accedat probabilitatis. Nam quod Cicero Brut. l. l. dicit, Attium illum Pisaurensem *Hermagorae* institutum fuisse praeceptis, id ipsum nescio an in eum quem in dialogi loco intelligendum esse suspicatus sum Attium maxime conveniat. Priusquam enim M. Aper veterem illam artem oratoriam, qualis fuerit, oratorum quorundam exemplis illustratam proponeret, ipse significavit vel illam fuisse accommodatam ad eam quae tum esset conditionem temporum, ita ut Cassius Severus, quem primum illi antiquorum admiratores flexisse affirmarent ab illa vetere atque dicendi directa via, non infirmitate ingenii nec inscitia literarum transtulisse se ad illud dicendi genus videretur, sed iudicio et intellectu. Facile enim priorem illum populum, ut imperitum et rudem, impeditissimarum pertulisse orationum spatia, atque id ipsum laudi datum esse, si dicendo quis diem exemisset. Iam vero, inquit, longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum divisionum ostentatio et mille argumentorum gradus, et quidquid aliud *aridissimis Hermagorae et Apollodori libris* praecipitur, in honore erat. — at hercule

*) Cap. 31, 84: Sapientissimum esse dicunt eum, cui quod opus sit, ipsi veniat in mentem: proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet. In stultitia contra est. Minus enim stultus est is, cui nihil in mentem venit, quam ille, qui quod stulte alteri venit in mentem, comprobat. — Verum alia caussa tum Staieni fuit, alia nunc, Atti, tua est. Ille, cum re premeretur, quodcunque diceret, honestius diceret, quam si, quod erat factum, fateretur: te vero illud idem, quod tum explosum et eiectum est, nunc retulisse demiror.

pervulgatis iam omnibus — novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat cet. Quae qualia sint ut luculentius appareat, exempli causa affert Messallae Corvini ab infirmitate valetudinis plerumque repetitas praefationes, quinque libros in Verrem, immensa illa de exceptione et formula volumina quae pro M. Tullio et A. Caecina legantur, quae omnia nemo ferat eo tempore quo praecurrat iudex dicentem, et nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus sit, aversetur dicentem. Exigi enim iam ab oratore etiam poeticum decorem, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatum, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatum. Neque ideo minus efficaces orationes esse, quia ad aures iudicantium cum voluptate perveniant. se quidem fateri in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. Hinc illud facile videtur perspici, Aprum ieiunii et lentitudinis eorum quos reprehendat oratorum causas in ipsis illis aridissimis Hermagorae et Apollodori praeceptis videri sibi deprehendisse, ut quoscunque appellat oratores, Canutium, Attium et, si diis placet, Furnium quoque et Toranium, eos omnes illorum rhetorum doctrinae labe infectos esse putet et commaculatos. Itaque vix est quod dubitemus, quin Aper quem Cicerone auctore Hermagorae praeceptis edoctum fuisse scimus Attium Pisaurensem, eundem et ipsum in illis inferioris notae oratoribus intelligi voluerit. Neque audiendos esse censeo Hessium aut Orellium, quorum uterque non veterem illum interpretatus est Hermagoram, sed minorem Temno oriundum Theodori Gadarensis discipulum, Carionis cognomine insignitum, quem Augusti et Tiberii aetate Romae cum praeceptore et Apollodoro vixisse ibique aetate provectiore mortuum esse dicit, neque assentior Spengelio, qui in censura eius quem de Hermagora Piderítus scripsit libelli (in Bergkii diurn. antiq. 1843. p. 443.) discerni posse negat, utrum hic an ille videatur esse intelligendus, quum minorem aeque ac maiorem iis quae vituperentur vitiis infectum fuisse sit probabile. Nam ex iis quae antea de tota loci conformatione disputavimus luculenter, opinor, apparet, minime de minore illo posse cogitari rhetore, cuius aetas omnino non conveniat in eos quos Aper intelligi voluisse oratores ex iis quae de Messalla Corvino, Cicerone, Calvo, Caesare, Bruto addidit fere evincitur *), ut Hermagorae praecepta non

*) vid. imprimis cap. 17. in. Sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium, ut puto, Agrippam — nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed *Ciceronem* et *Caesarem* et *Caelium* et *Calvum* et *Brutum* et *Asinium* et *Messallam*.

ad doctrinam ex ipsius disciplina et institutione haustam, sed ad artis praecepta, quibus, ut ab ipso rhetore memoriae prodita et litteris mandata fuerant, ita postero quoque tempore magnam vim tribuere solebant et auctoritatem, referenda esse appareat. Et ad Hermagorae illius artem rhetoricam tum sese accommodasse eloquentiae studiosos praeter Attium exemplo est C. Sicinius, quem *ex inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita* Hermagorae disciplina profectum esse affirmat Cicero (Brut. 76, 263.), quam dare rationes certas dicit et praecepta dicendi, quae etsi minorem habeant apparatum (esse enim exilia), tamen habeant ordinem et quasdam errare in dicendo non patientes vias. Atque ipsum Ciceronem constat in iis quos ex commentariolis inchoatas ac rudes sibi excidisse dicit (de Or. I, 2, 5.) rhetoricis libris Hermagorae praecepta modo secutum esse modo aspernatum. cf. Quintil. III, 11, 18. et III, 6, 59. Quae quid omnino ad artem oratoriam excolendam valuerint, quum ex iis quos attuli Ciceronianis locis, (Brut. c. 76. et 78.) appareat, tum eiusdem Quintiliani iudicio satis probatur, qui finita ea quam de causae constitutionibus posuit disputatione lib. III, 11, 21. „simplicius instituenti, inquit, non est necesse per tam minutas rerum particulas rationem dicendi concidere. Quo vitio multi quidem laborarunt, praecipue tamen Hermagoras, vir alioqui subtilis et in plurimis admirandus, tantum *diligentiae nimis sollicitae, ut ipsa eius reprehensio laude aliqua non indigna sit.*

Denique ei coniecturae, qua Attium Pisaurensem ab dialogi scriptore significatum esse posuimus, non minimum suffragatur commemoratio eius quicum coniunctum habemus *Canutii*, quem alii iam recte P. Canutium interpretati sunt, aequalem Ciceronis, qui (Brut. 56, 205.) extra senatorium ordinem disertissimum eum fuisse et Sulpicii orationes, quae ferantur, post mortem eius scripsisse putari affirmat. Sustinuit autem idem Canutius accusatoris partes in causa Cluentiana, ut contra Scamandrum et C. Fabricium de veneficio (p. Cluent. c. 18, 21.), ita contra ipsum Oppianicum (c. 27.). Quem Cicero ut cap. 18, 50. hominem in primis ingeniosum et in dicendo exercitatum appellat, ita cap. 10, 29. ab eo, eloquentissimo homine, unaquaque de re graviter et *diu* esse dictum affirmat. cf. etiam c. 21, 58. 27, 73. Commemoratur sane etiam alius Canutius, praenomine Tiberius, a quo continua rabie laceratum esse Antonium scribit Velleius (II, 64.), quem eundem commemoratum habemus ap. Cic. Phil. III, 9. ad Fam. XII, 3, 23. Dio Cass. 45, 6. 48, 14., sed eius eloquentia qualis fuerit cum nihil quidquam constet, ac praeterea Canutius una cum Attio commemoratus inveniatur, qui, si recte supra suspicati sumus, in una eademque causa Cluentiana oratorias partes egerit, certe non improbabile mihi visum

est, utrumque etiam apud dialogi scriptorem esse intelligendum. — Firmato autem aliquantum utroque nomine iam restat ut de reliqua enuntiationis parte dicendum videatur, quam per labem quam contraxerit nullo modo stare posse iam supra significavi. Ac verba quidem *de Furnio et Toranio* quomodo emendarem cum diu ac multum meditatus non invenirem, eo magis factum est ut corrupta esse mihi persuaderem, quum tot ac tantos viros doctissimos, quibuscum me et ingenii acumine et doctrinae copia ne minime quidem comparandum esse intelligerem, servatis illis tetris nominibus frustra in hoc loco emendando versatos esse viderem. Constat autem inter peritos, saepissime ab librariis et obscurari nomina propria (vid. huius dialogi cap. 8. 10. 11. 15. 20. 27.) et vero etiam temere inferri (vid. Unger. ad Valg. p. 435.). Quod ipsum ut hoc loco fieret ob duo illa quae antecedunt nomina propria facillima data erat opportunitas. Iam vero quum antea dicat Aper, sese in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam vix somnum tenere, facile licet coniicere, in iis quae sequuntur verbis eiusmodi afferri vitia orationum, quibus et ludibrium provocari et somnolentia excitari posse videatur. Quae qualia fuerint quum ex ea quae corrupta illa verba excipit sententia liceat augurari, visum mihi est totam enuntiationem sic scribere: „equidem fatebor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. nec *in unius* de populo — Canuti aut Atti — *deformi ieiunio aut ornamento*, quique alius in eodem valitudinario haec ossa et hanc maciem probat.“ Ac primum quidem quod scripsi *unius* saepius id commutatum esse cum *unum* non minus constat, quam errari saepissime in iteratis iis quae semel scribendae erant litteris, quemadmodum *et Toranio* perperam pro *et ornamento* scriptum fuisse conieci. Deinde Furnii nomen ita removi ut *deformi* *) scriberem, addito eo quod propter litterarum similitudinem facile videtur potuisse intercidere *ieiunio*, quo ipso vocabulo scriptor cap. 23. de maestis illis et incultis usus est oratoribus, quos ipsam, quam iactant, sunitatem non firmitate sed *ieiunio* dicit consequi. Quod praeterea posui *ornamento*, id per compendium scriptum et littera *m*, ut fit, in *ni* diducta, cum *oranio* facile, opinor, potuit commutari. Ceterum quae tum significata leguntur oratorum vitia, ea utrumque ad eundem, aut, quod ex antecedentibus magis placet, alterum ad alterum referri possunt oratorem. — Relictum iam mihi video ut de extremis

*) Video iam rationem hanc mihi praeisse *Ritterum*, qui in novissima editione scribendum coniecit: „nec unum de populo, non Canuti aut Aorii *deformitatem* memorabo.“

verbis pauca adiiciam quae a plurimis interpretibus plane immutata esse invenies, quamquam restituto illo quod corruptum est *alius* et *probat* nihil praeterea falsi videtur inesse aut corrupti. Tum enim eadem ratione verba posita sunt, qua etiam supra cap. 18. legitur: „haec ideo praedixi, ut, si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus acquiritur, eandem docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Servio Galbae aut Caio Carboni, *quosque alios* merito antiquos vocaverimus," quod licuit non minus recte dicere *quemque alium* vocaverimus sive *quique alius* — vocatur, vel qua cap. 25. fin. idem significare maluit ratione „quod ad Ser. Galbam et C. Laelium attinet, *et si* quos alios antiquorum agitare non destitit," quod ipsum cur non potuerit dici *quique alius ab eo agitatur*, fateor me non intelligere.

Paullo post ea quae modo accuratius persecuti sumus verba alia sequuntur, quae non minus magnam viris doctis moverunt dubitationem. Agitur enim de orationibus antiquorum, quae aliae aliis inquinatae sint vitiis. Sic Calvi pleraque esse lenta et fastidiosa, Coeliana redolere antiquitatem, Caesarem et Brutum magis quam eloquentia excellere, alterum gloria militari, alterum philosophiae laude. Iam sequuntur haec:

> Nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur. nisi forte quisquam aut Caesari pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur,

quae verba omnes, quod sciam, interpretes quum pro corruptis haberent, quacunque fieri posset medicina ad integritatem revocare studuerunt. Quam cum alii in eo reperisse sibi viderentur ut *nec fere* vel *nec forte* pro *nisi forte*, aut altero illo *nisi* omisso *quispiam* pro *quisquam* scriberent, alii fortioribus etiam remediis aggredi non dubitaverunt, quibus omnibus nihil quidquam ad veram sententiam restituendam effici facile me demonstraturum esse spero. Ac primum quidem, ut ab eo initium faciam quod plurimis placuisse video, quid tandem commodi nascitur deleto illo altero *nisi*? quod ex dittographia superioris *nisi* ortum esse volunt. Quo quid, quaeso, potest dici ieiunius aut frigidius? ut paene existimes scriptorem cum de Bruti et Caesaris lentitudine ageret ac tepore, velut quasi quadam contagione infectum oratione sua eius ipsius quam reprehenderet tarditatis retulisse similitudinem. Quid quod ne recte quidem ipsa habet sententia qua illud significaretur, eorum carmina sane digna esse quae et legantur et magni aestimentur, quod perperam dici ex ipsis quae

sequuntur verbis luculentissime apparet. Nec magis probandum est *nisi forte quispiam — legit, qui et c. mir.* quum *quispiam* ubique certum quendam ex singulari quodam genere pro exemplo afferri significet, nec tam *qualis* ille sit quaeratur, quam *esse* quendam ponatur (cf. Madv. ad Cic. de Fin. II, 35, 117. p. 228. III, 21, 70. p. 370. Seyff. ad Cic. Lael. XI, 39. p. 262.), ut Aper tum minime. quod expectamus, Caesaris aut Bruti orationes qui legat fore neminem profiteatur, sed inventum iri qui operam et studium in iis positurus sit pro certo affirmare videatur. At eiusmodi sententia quantum abhorreat ab Apri iudicio, id ei qui antecedentia et sequentia verba accuratius consideraverit facillime perspectum iri existimo. Nam illud ipsum quod dicitur uterque fecisse et in bibliothecas rettulisse carmina, non tamquam virtutis et praestantiae afferri documentum, sed ad probandam eam quam reprehenderat lentitudinem, id luculentissime apparet ex eo quod *non melius* quam Ciceronem, *sed felicius* ea fecisse dicit, quia *illos fecisse pauciores sciant.* Deinde alios video suffragari ei sententiae quam ante hos sedecim annos primus protulit *Petersenius* in Annot. in Corn. Tacitum spec. alt. p. 21., qui assentiens Walthero sine ulla codicum auctoritate scribenti *nisi forte quisquam — nisi et carm. eor. mir.* illud *nisi* ab initio posterioris membri iteratum, quam figuram rhetorici anaphoram appellent, huic sermonis parti multum gratiae et ponderis addere contendit, ut plene haec verba ita explicanda esse videantur: *nisi forte quisq. aut Caes. aut Bruti libr. leg., nisi forte quisq. etiam carmina eorund. miratur.* Verum non facile intelligitur quomodo Aper cum de orationibus agatur, carminum possit, idque per anaphoram, inculcare mentionem. Plane aliter habet quem ille affert Taciti locus Hist. III, 20. „non si pateant portae, *nisi* explorato, *nisi* die, intrandum," in quo rectissime per anaphoram adiunguntur quae nisi coniuncta locum habeant illud de quo agitur omnino accidere vetatur, ut illa figura utrique sententiae sua quaedam accedat gravitas et momentum, quo, simplici particula *et* posita, verendum sane esset ne privaretur. At huiusmodi nihil, opinor, cadit in illum dialogi locum, cuius tantum abest ut coniunctim demum orationum et carminum mentione facta recte habere videatur sententia, ut ea qua *Petersenius* voluit ratione carmina, quorum nulla quaestio erat posita, Aper ne commemorare quidem potuerit. Quae quum ita sint, *qui* non minus quam *quisquam* recte stare mihi persuasum est, neque omnino in eam adductus sum sententiam, ut locum pro corrupto haberem. Nam quum M. Aper Bruti illas et Caesaris orationes eodem plane numero quo lenta eorum et ieiuna carmina putandas esse significare velit, singulari quadam sed recta ratione usus dicit concedendum sane esse et

connivendum Caesari, quod orationes non aequiparent eam quam rebus gestis sibi comparaverit laudem, neque aliter rationem comparatam esse Bruti, qui philosophia plus laudis meruerit, nisi forte quisquam (i. e. quum profecto nemo) utriusque orationes legat, praeter eum qui et carmina illa miretur, quae fecerint et in bibliothecas rettulerint, illa quidem non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciant.*) Ita rectissime omnia habent, neque quidquam offendor repetita illa particula *nisi*, eo minus quod altera toti enuntiationi cum antecedentibus connectendae apposita, altera cum ea quae in pronomine *quisquam* inest negandi notione artissime est coniungenda. Nec magis sane offenderer, si scriptori cap. 37. pro eo quod scripsit: „crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, *nec quisquam* clarum et illustrem orationem efficere potest *nisi qui* causam parem invenit" scribere placuisset: *nisi forte quisquam — nisi qui* cet., aut quod Cicero de Or. I, 17, 84. dicit „neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset," scriptum legeretur *nisi forte quisquam potest* fac. ass. dic. *nisi qui — didicit*. Ceterum de Caesaris et Bruti eloquentia cum aliorum tum ipsius Ciceronis minus iniqua iudicia, ut ad ea quae defendere conati sumus verba rectius explicanda nihil quidquam afferunt momenti, ita accuratius persequi alienum esse duco a proposito.

Sequitur locus, si quis alius, male affectus, cui medicinam eo dificilius paraveris, quo saniora omnia esse videntur uno illo corrupto vocabulo plane resecto, cuius in locum quid restituas aegre inveneris, quum nihil aut desiderari aut adiici posse videatur, quod non eam quam recte stare existimes sententiam pervertat aut infringat. Quam difficultatem cum ipse optime intelligerem, tamen ut intactam relinquerem eo minus potui ab animo impetrare, quo magis videbar animadvertere, plerumque corrupta vocabula pro sanis, sana pro corruptis esse habita. Leguntur autem illa verba

Cap. XXV. Ne illi quidem parti sermonis eius repugno, si cominus fatetur plures formas dicendi etiam iisdem saeculis, nedum diversis exstitisse.

Respondere coepit his verbis Messalla ad acrem illam ac vehementem Apri orationem, qua postquam omnino docuit veteres, qui ab aliis dicantur,

*) Eandem *Halmii* esse sententiam ex edit. Teubneriana Vol. II. p. XVII. non sine aliquo gaudio postea intellexi.

oratores adeo non esse antiquos, ut ex comparatione fragilitatis et imbecillitatis humanae paene suam ipsorum attingere videantur aetatem, deinde id demonstrare studuit, eosdem illos ne minima quidem ex parte cum iis qui nunc floreant comparandos esse oratoribus, siquidem sua cuiusque aetatis et propria sit forma dicendi, neque sola antiquitate umquam possit quidquam laudis assequi orator, quem Messalla cum suis iam eo nomine laudibus in caelum videantur extollere. Cuius orationis singulas partes accuratius persecutus Messalla postquam non tam reiecit quam premenda esse negavit quae Aper de prioribus illis oratoribus iniuria antiquorum nomine insignitis dixerat, dummodo id teneretur, eminentiorem illorum temporum fuisse eloquentiam, addit iam ea de quibus disputandum erit verba, quae *cominus* vocabuli usu maxime suspecta esse vix est quod accuratius significem. Et discedunt quidem inter se viri docti, quorum alii omnino corrupto loco medicina quadam subveniendum esse censent, quum alii in vocabuli illius usu quidquam offensionis inesse negent. Et horum quidem quamquam magnopere eo commendatur sententia, quod vix licet indagari aliud vocabulum quod recte in eius locum possit substitui, tamen non posse probari quod volunt facile, opinor, apparebit, ubi accuratius in significationem illius vocabuli inquisiverimus, quem laborem eius quem subita morte nuper bonis litteris et artibus ereptum lugemus *Ferd. Handii* labore aliquantum esse levatum, grato animo decet profiteri. Ac primum quidem eorum mihi impugnandam esse video sententiam, qui ita verba et constituenda et corrigenda esse arbitrati sunt: *ne illi quidem parti sermonis eius repugno sic cominus* vel *repugno cominus si fatetur*, quorum illud quum duplici nomine vituperandum sit, — siquidem tum etiam non recte habet verborum conformatio, quae necessario ita institui debet ut verba *plures form. dic. esse* cum eo quo referenda sunt *ne illi quid. p. serm.* artissime coniungantur — ne hoc quidem ea quae ferri possit efficitur sententia. Nam Messalla tantum abest, ut *cominus* illi parti orationis repugnet, ut omnino non repugnet sed sponte ac prompto animo profiteatur vere habere quam Aper proposuerit sententiam. Quem sententiarum ordinem magis ii perspexisse videntur, qui *cominus* cum *fatetur* coniungi voluerunt, quamquam ne sic quidem recte habet sententia. Nam quid, quaeso, hoc est: *fatetur cominus*? quod, ut par est, scriptor cap. 21. significavit *fatebor vobis simpliciter*. Ac volunt quidem ita intelligi ut, notione quadam pugnae subiecta, Messalla Aprum quasi quoddam proelium secum inisse fingat,— memores illi quidem profecto eiusmodi locorum, qualis est Cic. de div. II, 10, 26. „sed haec fuerit nobis tamquam levis armaturae prima orationis excursio: nunc *cominus* agamus experiamurque, si

possimus cornua commovere disputationis tuae — verum vel sic non parva quaedam inesset durities ac prope ineptia, cuius nomine rectissime liceret vehementer scriptorem vituperare. Tenendum autem est omnino vocabuli illius *cominus* usum, quum proprie „de pugna diceretur quae gladio aliove telo manu stricto, vel ipsa manu, propinquo ex loco committeretur," procedente tempore ita esse inflexum ut ad alias res transferretur propinquo ex loco et manu quasi agendas. Hinc *cominus accedere, ire, tendere* et quae sunt similia. At ne eae quidem significationes in illum locum conveniunt, quibus vocabulum illud plane imminuta et infracta eius quae proprie subiecta erat notionis gravitate mox pro simplici *prope, in propinquo, ex propinquo* cum *videre, noscere, recipere, pingere* coniunctum invenitur, usque dum omnino de praesentia aut de eo dicebatur quod statim eventurum esset. Quo luculentius autem ex iis quae hucusque Handium secuti attulimus apparet, nullam illius vocabuli significationem in eiusmodi qualis hic est posse convenire locum, eo magis mirari subit, quomodo et Hessius et Orellius affirmaverit Handium (Tursell. Vol. II. p. 94. sqq.) hunc dialogi locum ita tutatum esse ut Servii auctoritatem secutus (ad Virg. Georg. III. 374.) *cominus* ex usu in Gallia Cisalpina invento pro *illico, statim* positum intelligeret, qui tantum abest ut eiusmodi quid proposuerit, ut, id quod sane dolendum est, ne verbum quidem de hoc loco addere voluerit. Quae quum ita sint, eorum sententiae subscribo qui verbis aliquid labis adspersum esse sibi persuaserunt, quamquam facile quivis assentietur Orellio inter coniecturas adhuc propositas — quas nominatim persequi longum est — ne unam quidem esse probabilem. Ac plerique quidem *cominus* cum *communis* vocabulo commutandum esse censuerunt ut aut *communius* aut *in commune* scribendum esse coniicerent, quum alii *omnis* in depravato illo vocabulo inesse rati *siquidem omnes* vel *sicut omnes fatentur, si cum omnibus* vel *coram omnibus*, aut *in qua omnino* proponerent. Alii denique *minus* vocabuli vestigia deprehendisse quum sibi viderentur *si non minus fatetur* vel *quasi minus fatendum* amplexi sunt. Verum his omnibus coniecturis facile est intellectu, quam aut quaesita nascatur aut languida sententia, quum illam Apri concessionem — si tandem ea vera est — omnino non necessarium sit addi qualis fuerit, invita an voluntaria, aut superba an modesta denique utrum ille coram omnibus an solus et per se ipse eiusmodi prae se tulerit sententiam. Inde factum est ut aliam plane ac novam qua succurrerem loco misere depravato ingrediendam esse suspicarer viam, quam mihi Doederleinium, Schelium Doederleinio praeisse postea demum vidi, quum eius sententiam Orellii annotatione plane obscuratam ipse antea nondum haberem cognitam. Quotiescunque enim

relegebam dubia illa verba, semper haerebam in eodem quod primum mihi legenti offensioni fuerat, primum Messallam dicere sese non repugnare illi Apri sermonis parti *si* fateatur plures formas dicendi etiam iisdem saeculis, nedum diversis exstitisse, quod concinnius dici sane potuit aut *non repugno illi parti qua fatetur*, aut *non repugno si fatetur in illa sermonis parte.* Deinde autem, id quod gravius est, non facile mihi videbatur ad intelligendum, quomodo Aper *fateri* aliquid dici posset, quod dicere minime coactus quum esset immo suae ipsius causae patrocinari arbitraretur, simpliciter, ut par erat, attulerat tamquam aliquid in quo ad eam quae instituta esset quaestionem aliquantum momenti positum esse videretur. Respondentis demum esse potuit *fateri*, aut eius qui sponte concederet quibus minime suam causam infringi intelligeret, qualem ipsum Aprum habemus qui cap. XXI. „Equidem *fatebor* vobis simpliciter, inquit, me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam vix somnum tenere," et Messallam cap. XXV. „non exigit defensorem cum *fatear* quaedam eloquentiae (Ser. Galbae et C. Laelii) — defuisse." Unde certo quodam argumento, ni fallor, demonstratur, labem huic loco insidentem falso plerumque quaesitam esse in *cominus*, quam in ipso *fatendi* vocabulo tectam latere sit consentaneum, dummodo recipiatur quae ut in aliis locis ita hic quoque falso exarato vocabulo in codice superscripta legatur vera emendatio: *quominus.* Quod qui recte sensit Doederleinius, emendandi tamen secutus est rationem, quam nemini probatum iri sine ulla dubitatione affirmaverim. Nam nisus dubiae auctoritatis illo uno loco orationis p. Rullo XI, 20. „Ager — qui publicus esse fateatur," quo Ciceronem *fatendi* vocabulo sensu passivo usum esse demonstrare volunt (quos enim praeterea affert locos Tac. Ann. I, 10. XV, 12. Hist. III, 80., in iis ne vocabulum quidem ipsum legitur, non modo ea quam ille intrudit huic loco sententia) legendum esse censet: „ne illi quid parti serm. eius *repugno quominus fateatur,*" qua scriptura, praeterquam quod eo quo supra significavi nomine vituperanda est, ne efficitur quidem ut recte procedat sententia, cui *fatendi* vocabulum non magis convenire videatur quam ei in qua ipse Doederleinius tolli voluit Apri orationi. Huc accedit quod ne tum quidem enuntiatio illa, qua plures formae dicendi exstitisse dicuntur, cum iis quo pertinet verbis cohaeret, sed ad ea potius referenda est quibuscum nulla omnino ei intercedit sententiarum ratio. Itaque rectius mihi visum est scribere: *ne illi quid. parti serm. eius rep. quom. faveatur cet.* Ac primum quidem tum omnia eo quo debebant ordine collocata sunt, aptis inter se et connexis iis verbis et enuntiatis, quae artissimo quodam sententiae vinculo coniungenda esse videantur. Deinde ut dici posse *favetur sententiae* vel *sermonis parti* demonstrare

satis habeo uno loco Ciceronis Tusc. Disp. I, 23, 55: „Ego vero facile sum passus ne in mentem quidem mihi aliquid contra venire; ita isti *faveo* sententiae," ita passivae formae, qua illo *favendi* vocabulo uti placuit scriptori, auctorem habeo eundem Ciceronem de Or. II, 51, 207. „Invidetur enim commodis hominum ipsorum, studiis autem eorum ceteris commodandi *favetur*" (similiter De offic. II, 13, 45.) et Quintil. Inst. V, 7, 31. „Sed imprimis interrogatio debet esse circumspecta, quia multa contra patronos venuste testis saepe respondet, eique praecipue vulgo *favetur*." Denique quod ad coniecturae probabilitatem attinet, veri non videtur dissimile semel corrupto illo *faveatur* et *quominus* — quod quomodo in *cominus* abire potuerit, quum inter peritos constet, satis sit uno simillimo exemplo confirmare Annalium XIII, 9. ubi quod in optimo Mediceo codice scriptum est „Vologeses quo bellum ex *quomodo* pararet" iamdudum *commodo* correctum legitur — corrupto igitur illo *cominus* ut aliquo certe modo sententiae integritati succurreretur adiectum esse probabile est particulam *si*, quam ne in editionibus veteribus quidem inveniri affirmat Doederleinius.

Ventum est ad eum locum, quem quum antiqui interpretes vix tentaverint, recentiores fere omnes plane desperaverint, eo magis si non laudem at veniam certe impetraturum se esse sperare poterit, qui tetras illas quibus offusus iacet aliquantulum dispellere studuerit caligines, ut aliqua luce collustrata appareat veritas. Legitur autem

Cap. XXVI. Neque enim oratorius iste, immo hercle ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lascivia verborum et levitate sententiarum, et licentia compositionis histrionales modos exprimant. quodque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant, canturi saltarique commentarios suos. unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur.

Ita Rhenanus de coniectura scripsit pro eo quod omni sententia cassum in libris mss. legitur. Nam in optimo cod. Perizoniano auctor est Orellius scriptum esse *frequens his clam et exclamatio*, quum in cod. Farnes. *frequens sicut his cta cet.* (vel, Bekkero si fides tribuitur, freq. sic. *bis* cta cet.), denique in cod. Paris. ab Eggero collato (Diurn. antiq. 1836. p. 343.) *freq. sicut his clam et exclamatio* exaratum inveniatur. Ac nescio an hoc ipsum in cod. Perizoniano quoque legatur, ut Orellius in ea quae separatim prodiit editione non minus quam Trossius pronuntiavit, quum ille et in Ind. lectt. hib. in univ. Turic. 1846. et in ea quae secuta est omnium operum Taciti editione — omisso

sicut—nihil nisi *frequens his clam et exclam.* scriptum esse affirmet. At quum ab Orellio, qui diligentissime ubique addere soleat codicis ab eo quod Trossius invenisse sibi videbatur discrepantiam, nihil quidquam hic adnotatum reperiatur, facile licet suspicari, typothetarum negligentia intercidisse quod in codice ipso legatur *sicut*; qua de re magnopere optandum est ut ille, penes quem iudicium est, Baiterus auctoritate sua interposita decernat. Quo minus autem constat quid optimo in codice scriptum legatur, eo difficilius est ad inveniendum, quid ab ipso scriptore videatur esse profectum. Et plerique quidem interpretes in eo quod ingeniose excogitatum proposuerat Rhenanus acquieverunt, praeter Orellium, qui in priore dialogi editione scribi maluit: *frequens tamen, sicut scitis, laus et exclamatio,* in quo certe vocabulum *laus* non aptum est, quamquam etiam illud *sicut scitis* vix veri est simile in iis quae traditae sunt codicum notis oblitteratum iacere. Itaque medicina subvenire loco studuit *Bezzenbergerus* in Emendationum delectu quem philologis Dresdae congressis a. 1844. obtulit, in quo libello plurimos Taciti locos foedissimis vitiis inquinatos ingeniosissima et maxime probabili emendavit ratione. Quamquam ei hic res minus prospere videtur cessisse, quum scribendum coniiceret: *frequens sic ut cuivis ciatur exclamatio,* quod et longius recedit ab scriptura codicum, et affert sententiam languidam ac prope scriptore indignam. Nec magis probanda est quam *Ritterus* in novissima editione in ipsum verborum ordinem recepit coniectura *frequens sicut histrioni clamor et exclamatio,* in qua non facile perspicitur, quid histrionis clamor sit, aut, si ea ratione potius intelligendum est, quomodo scriptor clamorem tolli dicat oratoribus, si recte intelligo, similem ei quo histriones prosequi soleant, praesertim quum inter utrumque ne minima quidem intercedat similitudo, nisi forte Ritterus illud *sicut histrioni* ad solum *frequens* referri voluit, quo sententiae mira quaedam inculcatur tarditas. Itaque alia ratione loci illius obscuritati lux quaedam videtur esse affundenda. Et primum quidem quid in vano illo *cta* vel *clam* lateat oblitteratum, vix potest esse dubium, quum eo quod scriptum in codd. videtur compendio cla *) vocabulum *clausula* notari inter peritos constet. cf. Waltheri lexicon diplom. p. 53. Quod superest *his* vel *bis*, id nescio an fuerit *nimis*, siquidem $\widehat{nis}$, ut solet, exaratum, usitata litterarum *h* et *n* commutatione (cf. Unger. ad Valg. p. 344. 458.)

---

*) Quod facile pro *cta* haberi aut in *clam* abire potuit ea consuetudine librariorum, qua saepe sententia non intellecta additis litteris vel syllabis noti alicuius vocabuli formam verbis scriptoris solent inculcare. cf. Heraei Stud. crit. in Med. Tac. codd. p. 79.

facile in *his* corrumpi potuit. Scribenda igitur videtur esse tota enuntiatio sic: *Unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens nimis clausula et exclamatio cet.* Iam vero quum eius quod restitui vocabuli *clausula* magna usus sit varietas, ut luculentis quibusdam testimoniis comprobetur, qua ratione hic intelligendum esse videatur, non alienum duxi a proposito singulas quasque, quibus dictum invenitur, accuratius persequi significationes. Cum autem omnino significet extremam cuiusque rei partem vel exitum, — ut Cicero, quum in eo esset ut ex povincia decederet, ad Atticum scribere potuerit (VI, 3, 3.) „Res gestae dignae triumpho, de quo nihil cupide agemus. *Clausula* est difficilis in tradenda provincia. Sed haec deus aliquis gubernabit" — tum potissimum in orationis compositione de iis dicitur vocabulis, quibus singulae quaedam enuntiationes terminantur. Ita Cic. de Or. III, 46, 181. *clausulas* atque interpuncta verborum animae interclusionem atque angustias spiritus attulisse affirmat, quas de Or. III, 50, 192. diligentius etiam servandas esse arbitratur, quam superiora, quod in his maxime perfectio atque absolutio iudicatur, et Orat. c. 64, 215. *clausulas* dicit esse quae numerose et iucunde cadant (quemadmodum Quintil. IX, 3, 77. *clausulas* similiter cadentes commemorat), ut c. 67, 226. nullum genus dicendi aut melius aut fortius esse dicit, quam binis aut ternis ferire verbis, nonnumquam singulis, poullo alias pluribus, inter quae variis *clausulis* interponat se raro numerosa comprehensio. Neque aliter in ipso dialogo de Oratoribus cap. 32. fin. orator non omnes *clausulas* uno et eodem modo iubetur terminare, quo nomine cap. 23. ipse reprehenditur Cicero, qui tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia posuerit illud *esse videatur*, quod ipsum si in *clausula* posuissent qui se pulchre expressisse genus illud coelestis in dicendo viri sibi viderentur, novisse se dicit Quintilianus X, 2, 18. Huc spectant etiam ea praecepta quae sumpta ab versuum pedibus, quibus periodorum exitus formandi sint Quintilianus posuit cf. VIII, 3, 20. IX, 4, 62. 75. 96. 101. vel etiam ab singulis quibusdam litteris depromta, veluti litteram *ny* rarissimam esse in *clausulis* XII, 10, 31. Nec minus tamen clausula de iis *sententiis* dicitur quae in fine positae tamquam lumina (Quintil. VIII, 5, 2.) assignantur auditori et infiguntur *) (Quintil. IX, 4, 29.), quibus graviter et suaviter ad aures accidentibus ut clamores et plausus ferrent cum alias tum in ipso ab exordio transitu (Quintil. IV, 1, 77.) summo studio

*) Qua ratione interpretatus videtur esse Max. Victorinus Art. Gramm. 16. (Tom. I. p. 275. Lind.) Clausula est compositio verborum plausibilis structurae exitu terminata.

adnitebantur oratores. Quod in ipsis rhetorum scholis factum esse ut testatur Quintilianus II, 2, 12., reprehendens ille quidem eos qui proni atque succincti ad omnem *clausulam* non exurgant modo, verum etiam excurrant et cum indecora exultatione conclament, ita VIII, 5, 14. multorum oratorum iutemperantiam exagitat et perversitatem, qui volunt ut omnis sensus in fine sermonis feriat aurem. „Turpe autem, inquit, ac prope nefas ducunt, respirare ullo loco, qui acclamationem non petierit. Inde minuti corruptique sensiculi, et extra rem petiti. Neque enim possunt tam multae bonae sententiae esse, quam necesse est multae sint *clausulae.*“ Quae quales fuerint interpretatur (quem affert Cresoll. Theatr. rhet. III, 4. p. 281.) Hieronymus (Epist. II. ad Nepotian. T. I. p. 9. ed Fcof.) „Ne a me quaeras pueriles declamationes, sententiarum flosculos, verborum lenocinia et per fines capitulorum singulorum acuta quaedam breviterque conclusa, quae clamores et plausus excitant audientium.“ Ac potissimum *clausula* dicitur de fabulae extrema parte, qua spectatores iubentur clamores dare et plausus. Sic explicandus est notissimus ille locus de Augusto, quem Suetonius Aug. cap. 99. admissos amicos percunctantem ecquid iis videretur mimum vitae commode transegisse, adiecisse dicit clausulam *εἰ δὲ πᾶν ἔχει καλῶς, τῷ παιγνίῳ δότε κρότον κτλ.* Quamquam non minus recte *clausula* extremus appellatur fabulae actus, quo id potissimum spectare debet poeta, ut quibuscunque omnia obstructa videntur esse difficultatibus, eae facili removeantur negotio, ut tamquam maris undae placido vento sedatae, sic spectatorum commoti animi componantur tranquillitate. Itaque Seneca Epist. LXXVII. fin., qui quomodo in fabula sic in vita non quam diu sed quam bene acta sit quaerendum esse affirmat, „nihil, inquit, ad rem pertinet, quo loco desinas, quocunque voles desine: tantum bonam *clausulam* impone,“ eademque ratione Cic. p. Coel. cap. 27, 65. Licinio, quem ad venenum Clodiae servis tradendum immissum esse arguebant, non deprehenso „Mimi ergo est iam exitus, inquit, non fabulae: in quo quum *clausula* non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabilla concrepant, aulaeum tollitur,“ ut Suet. Nero c. 30. narrat Datum, Atellanarum histrionem, in cantico quodam *ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ* ita demonstrasse ut bibentem natantemque faceret, — et in novissima *clausula Orcus vobis ducit pedes* senatum gestu notaret. Quemadmodum autem clausula de fabula est in usu, ita de cuiusvis vel dicti vel scripti extrema parte, ut de edicto (Verr. III, 14.) ita imprimis de *epistola* saepissime dicitur. Sic apud Ciceronem Philipp. XIII., qui postquam litteras ab Antonio ad Hirtium et Caesarem scriptas recitavit deque singulis sententiis breviter disseruit, cap. XXI. tandem desinens: „Veniamus, inquit, aliquando ad *clausulam*: Legatos venire

non credo cet." et ad Fam. II, 4: „Quamobrem quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea *clausula*, qua soleo teque ad studium summae laudis cohortabor." Sed quum ut aliud quodque scriptum, ita epistola saepe eiusmodi claudatur sententia, quam eius ad quem scripta est animo penitus infixam volumus inhaerere, ut tamquam viaticum (Sen. Epist. XXVI.) epistolae detur (vid. Sen. Epist. XI. fin. Iam *clausulam* epistola poscit; accipe et quidem utilem et salutarem, quam te affigere animo volo. Aliquis vir bonus eligendus est cet.), hinc factum est ut *clausula* aut eam significaret sententiam quae totius eius de qua disputatum erat rei complecteretur breviter argumentum, aut omnino argutam aliquam et sententiosam denotaret vocem. Sic Quintil. XI, 3, 181. Huius quoque loci *clausula* sit eadem necesse est quae ceterorum est, regnare maxime modum, et II, 15, 28. cum Platonici dialogi qui Gorgias inscribitur declarare vellet argumentum, postquam significavit clausam esse contra Gorgiam disputationem ita ut poneretur oratorem esse debere virum bonum, tum Polo, iuvenili ardore inconsideratius suscipiente sermonem Calliclem dicit adhuc concitatiorem perduci ad *clausulam*, quicunque velit orator bonus esse, eum et iustum esse debere et iustitiae peritum. Quo pertinet etiam illud quod Cic. de Or. II, 59, 240. de facetiarum generibus disputans quum mentionem iniecisset lepidissimae illius fabulae, cuius narratione Crassus in oratione quadam Memmium ad irridendum proposuisset, quod Largii lacertum, quum esset cum eo Tarracinae de amicula rixatus, comedisse eum diceret, „Addidisti, inquit, *clausulam*, tota Tarracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse litteras L. L. L. M. M. (Lacerat lacertum Largi mordax Memmius). Neque aliter interpretandus videtur aut Suet. Vesp. c. 13., qui Vespasianum narrat Licinium Mucianum, notae impudicitiae, sed meritorum fiducia minus sui reverentem, numquam nisi clam et hactenus retractare sustinuisse: ut apud communem aliquem amicum querens adderet *clausulam* „Ego tamen vir sum," aut ille quem Cresoll. Theatr. l. l. affert Gregor. Magn. Epist. I, 6: „Quod causae et nominis similitudinem faciendo per scripta vestra clausulas declamationesque formatis, certe simiam bovem vocas." Atque eadem sententia — ut tandem illuc unde deflexit redeat oratio — dictum, nisi egregie fallor, illud quod restituendum censui *frequens nimis clausula et exclamatio*, ut hoc loco eandem quam docti iam adnotabant synonymorum ad unam eandemque notionem exprimendam coacervationem (cf. Eckstein. Prolegom. p. 80.) invenire liceat.

Secuti sumus in iis quae hucusque disputavimus auctoritatem et fidem Orellii, qui scripturam *frequens his clam* in optimo codice inventam esse adnotavit. Attamen si solo typothetarum errore intercidit quod in ipso codice scri-

ptum legitur *sicut* — quod cur credibile esse videatur supra iam exposui accuratius — facile apparet non ea qua conatus sum ratione corrupti loci subveniri posse integritati. Quem ubi diligentius consideraveris, iis ipsis quae sequuntur verbis *ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur* externorum hominum vocem quandam indicari apparebit, non Romanorum, ut vix reperiri posse videatur quod pressius sequatur quae servata habemus verae scripturae vestigia, quam *foeda et praepostera, sed tamen frequens Siculis clausula et exclamatio*, quod tamen ut ei quam saepe de Siculis praedicari constat dicacitati imprimis convenit, ita ipsis distincte commemoratis aliquam habere videtur dubitationem, quam quibus argumentis removeam mihi nunc quidem non in promptu esse ingenue profiteor.

Quos hucusque tractavimus locos iis omnibus ut corruptis ac misere affectis medicina quadam adhibita erat succurrendum. Restat unus, de quo iam supra p. 8. aliquid monui, quem quum interpretes non recte pro depravato haberent, iniuria neglecta optimi codicis auctoritate deteriorem reliquorum librorum secuti videntur esse scripturam. Legitur autem in optimo codice Perizoniano ita exaratus:

> Cap. XXXVII. Nam quo saepius steterit tamquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quoque maior adversarius et acrior qui pugnas sibi ipse desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitatus discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est ut secura velint.

Quod cur plane repudiatum sit ab doctis ut ignoro, ita satis mihi videtur apparere, quae in reliquis codd. et editionibus antiquis scripta legantur, *) ea omnia inde ita manasse, ut sive incuria librariorum sive intelligendi socordia quae recte scripta essent depravarentur. Sed quum plurimi quidem codd. haberent „quo maior adversarius *eo* acrior cet.," quod quomodo ortum sit non est quod accuratius persequar, factum est ut inde novam aliquam scripturam eruere mallent potius quam ut optimi illius codicis vestigia secuti eam quam invenissent defenderent. Quid quod Orellius quam ipse proposita coniectura

---

*) Codd. Par. et Vindob: *eo acrior qui pugnas sibi asperas desumpserit,* quum cod. Farnes. praebeat: *quo maior adv. eo acrior per pugnas sibi ipsas desumpserit.* quod idem codd. Vatt. tenent, nisi quod in uno scriptum est: *quo maior adv. et acrior* cet., quum in altero inveniatur: *et acrior quicum* pugn. sibi *asperas* desumpserit. Edd. antiquae praebent: *eo acrior qui pugnas sibi asperas desumpserit.*

quoque maior adversarius et acriores pugnas sibi ipsa desumpserit— qua non satis concinne fluit oratio — intulisset structurae variationem, insuper satis a Perizoniano codice firmatam esse sibi persuasit. At facile est intellectu, verae scripturae vestigiis in illo codice repertis aliam plane monstrari viam, qua explicentur illa verba aut, si opus sit, emendentur. Et languidius sane dictum est quod fere placuit interpretibus, eloquentiam praedicari maiores adversarios et acriores sibi ipsam desumpsisse pugnas, quum antecedentibus verbis, quibus saepe tamquam in acie stetisse et multos et intulisse dicitur ictus et excepisse, idem iam satis significatum esse videatur. Ita enim facile apparet non cum *levibus* quibusdam adversariis congressam aut *parvis* proeliis conflictatam negari loco depulsam esse eloquentiam. Itaque satius esse puto in optimi codicis scriptura ita acquiescere, ut probato eo quo egregie, ni fallor, commendatur, removeatur illud quod aliquam videatur habere dubitationem. Intelligitur autem tum non de acrioribus quibusdam narrari pugnis, sed acriorem significari adversarium qui ipse sibi desumpserit pugnas, quas quanto fortius invadat eloquentia tanto altior et excelsior et illis nobilitata discriminibus in ore hominum soleat agere. Quamquam autem rectissime sane dici potest adversarius *ipse* sibi desumpsisse pugnas eiusmodi, quales contra Catilinam, Verrem, Antonium pugnatas Ciceroni tantam famam circumdedisse significaverat Maternus, tamen aliquanto plus laudis videtur inesse in ea pugna, quam non provocata aut lacessita, sed ultro ac voluntate depellendam sibi desumpserit eloquentia. Hinc nescio an codicis Perizoniani vestigia presse secutis scribere nobis liceat: *quoque maior adversarius et acrior, cui* (vel quod in nonnullis codicibus legitur *quicum*) *pugnas sibi ipse desumpserit. Cui* et *qui* sexcenties inter se commutata esse quum constet, non est quod exemplis probem, neque in duplici illo dativo quidquam, opinor, potest esse offensionis. Quae sequuntur verba *illis nobilitatus discriminibus* scripsi emendato eo quod legitur *criminibus* in *discriminibus,* quod plerique iam viri docti reponendum esse censuerunt, quibus illud non assentior quod *nobilitata* maluerunt scribi, quam quod in omnibus, quod sciam, codicibus legitur tenere *nobilitatus.* Et hoc recte habere ex optimi codicis Perizon. scriptura *qui p. sibi ipse desumpserit* videtur paene evinci. Facile autem apparet scriptorem quae antea de eloquentiae conditione dixerat, ea deinde ad eos qui eloquentiae facultate et laude excellerent rettulisse, quod eo rectius fieri poterat, quum antecederent haec verba: „plures tamen bonos proeliatores bella quam pax ferunt. Similis eloquentiae conditio.“ Ita nihil iam videtur esse difficultatis in tota illa enuntiatione sic scripta: „Nam quo saepius steterit tamquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et

exceperit, quoque maior adversarius et acrior *cui* pugnas sibi ipse desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitatus discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est ut secura velint.“ Quod ad ultima verba *quorum ea natura est ut secura velint* attinet, iis assentior viris doctis, qui aliquid intercidisse arbitrati sunt, quod quale fuerit quum vix certo liceat affirmari, satius mihi visum est quam incertam sequi coniecturam, in eo quod iam propositum viderem acquiescere.

Verum haec hactenus. Nolo enim longius exspatiari et egredi angustos quibus huiusmodi libelli circumscripti esse solent terminos. Quod reliquum est, omnes si qui forte haec lecturi sunt etiam atque etiam rogo, ut ea quae scripsi aequi bonique consulere et iis quos deprehenderint erroribus ac vitiis humanissime velint condonare. Non enim scripsi ut alios docerem, scripsi ut ipse discerem et restinguerem eum quo incensus eram flagrantissimum ardorem evolvendi in illis locis et nudandi quam obscuratam et quasi velis quibusdam obtentam viderem veritatem. Quod ut minus prospere mihi cessisse sentio, ita intentae quam in hunc libellum impendi curae abunde satisfactum esse videbitur, si ad ingrediendum eundem quem peregi cursum alios excitavero, qui quam ego petierim, eam et velint et possint contingere metam.

II.

Statistische Nachrichten

über das

Königliche Pädagogium

zu Halle.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-69027/fragment/page=0035

Nach dem vorjährigen Programm bestand das Lehrer-Collegium aus dem Insp. adj. Dr. Daniel, Dr. Voigt, Dr. Dryander, Dr. Eckardt, Dr. Garcke, Nagel, Niemeyer, Buchbinder, Fahland, Hupe und Kneury. Wie der zuletzt Genannte als Lehrer der französischen Sprache fungirt, so bekleidet der Rendant Hößler fortdauernd die Stelle eines Lehrers der Naturgeschichte. Dazu lag der Unterricht im Zeichnen und Turnen im vergangenen Schuljahre noch in Dieters Hand. Inzwischen haben sich im Laufe desselben manche Veränderungen zugetragen.

Dr. Eckardt ist bald nach dem Beginne des Wintersemesters 1850/51 einem ehrenvollen Rufe in seine Vaterstadt Sangerhausen gefolgt. Der dortige Magistrat hatte ihn zum Diakonus an der Kirche zu St. Ulrich erwählt, und so ungern er sich von uns trennte, so durfte er doch als Theolog den Ruf zu einem geistlichen Amte nicht ablehnen. Uns war die Trennung von ihm nicht minder schmerzlich. Denn er hatte von dem Augenblicke an, wo er in unsern Kreis eingetreten war, das ihm übertragene Amt eines Lehrers und Erziehers mit seltner Treue und Gewissenhaftigkeit, mit großer Umsicht und dankenswerthem Erfolge verwaltet und sich daneben durch seine zuvorkommende Güte und Gefälligkeit die Achtung und Liebe seiner Collegen wie seiner Schüler in einem hohen Grade erworben. Wir erkennen es mit dankbarer Freude, daß er auch in der Ferne an Allem, was uns begegnet, den innigsten und aufrichtigsten Antheil nimmt.

Nicht minder schmerzlich war uns der Verlust des Collegen Buchbinder. Er erhielt um dieselbe Zeit eine Vocation an das Domgymnasium zu Merseburg und nahm dieselbe in der Hoffnung, daß sich die finanziellen Verhältnisse der Lehrer durch definitive Bestimmungen über die Vicarien bald verbessern würden, gern an. Ob diese Hoffnung erfüllt worden, wissen wir nicht. Das aber wissen wir, daß er seine Schüler durch die Klarheit und Bestimmtheit seines Unterrichts, wie durch die strenge Consequenz, womit er die Disciplin handhabt, in wissenschaftlicher und sittlicher Beziehung gleichmäßig fördern, mit andern Worten, daß er sich in seiner neuen Stellung bewähren wird, wie er sich unter uns bewährt hat.

Endlich haben wir auch den Tod unsres Dieter, geb. zu Stuttgart am 13. Juli 1808, zu beklagen. Er war, als Se. Durchlaucht der Fürst von Schönburg-Waldenburg dem Institute jährlich 200 Thlr. überwies, für dasselbe gewonnen worden, um den Turn-Unterricht zu übernehmen, hatte den Turnplatz des Pädagogiums neu eingerichtet, und die gymnastischen Uebungen, denen unsere Zöglinge stets zugethan gewesen sind, nach den bewährten Eiselen'schen Grundsätzen geregelt und geleitet. Aber von der Ueberzeugung durchdrungen, daß diesen Uebungen eine höhere Bedeutung für die Bildung der Jugend zuzuschreiben sei und daß sie eine immer größere Geltung unter den Erziehungsmitteln gewinnen müßten, war er von Anfang an bemüht gewesen, dieser Ueberzeugung in weiteren Kreisen Eingang zu verschaffen und seine Thätigkeit auf die uneigennützigste Weise immer weiter und weiter auszudehnen. Er richtete sein Augenmerk dabei zunächst auf die lateinische Hauptschule, auf die Realschule, so wie auf die mit beiden verbundene Pensionsanstalt in den Franckeschen Stiftungen, dann auf die Waisenanstalt und die Bürgerschule, so wie auf die städtischen Schulen, und überall zeigte er so viel Einsicht in das Wesen der Turnkunst, überall bewährte sich sein praktischer Sinn auf so glänzende Weise, daß er bald einen bedeutenden Ruf erlangte und von mehreren Privaten und Communen aus der Nähe und Ferne um Rath und Hülfe angegangen wurde. Daneben war ihm der Unterricht im Zeichnen auf seinen Wunsch übertragen worden. Inzwischen fing unter solchen zum Theil sehr angreifenden Arbeiten seine Gesundheit an zu wanken. Es bildete sich ein Brustleiden bei ihm aus, und so sorgfältig er auch über sich wachte, so gewissenhaft er Alles erfüllte, was ihm die Aerzte zu seiner Wiederherstellung riethen — am 9. Februar dieses Jahres erlag er der Krankheit und wurde am 12. desselben Monats von seinen Schülern zu Grabe getragen. Die ungewöhnlich zahlreiche Versammlung, welche sich, ohne daß irgend eine Einladung dazu ergangen wäre, auf dem Stadtgottesacker eingefunden, um ihm die letzte Ehre zu erweisen, zeugte von der großen Theilnahme, welche in den verschiedensten Kreisen für den Dahingeschiedenen herrschte. Auch da, wo man sein Wirken nicht zu würdigen verstand, hatte ihm doch die Redlichkeit und Biederkeit seines Charakters Vertrauen und Liebe erworben.

Bis zum Ausscheiden des Dr. Eckardt war Prima in zwei Classen, in Prima sup. und Prima inf., getheilt. Da aber beide Abtheilungen in jener Zeit gerade nur 21 Scholaren umfaßten, so wurde der Beschluß gefaßt, beide wieder in eine Classe zu vereinigen, und da gleichzeitig die Sexta eingezogen wurde, so brauchte weder für den Dr. Eckardt noch für den Mathematikus Buchbinder, dessen Unterrichtsstunden der College Fahland übernahm, ein neuer Lehrer vocirt zu werden. Die Leitung des Turnwesens übernahm Herr Dr. Voigt, Ordinarius von Prima, der

Unterricht im Zeichnen der Kupferstecher Voigt, so daß das Collegium gegenwärtig aus dem Insp. adj. Dr. Daniel, Dr. Voigt, Dr. Dryander, Dr. Garcke, Nagel, Niemeyer, Fahland, Hupe, Kneury, Hößler, Voigt und dem Hülfslehrer Dr. Hertzberg besteht.

Was die Scholaren betrifft, so hatte das Institut nach dem vorjährigen Programm 93 Scholaren. Hiervon verließen dasselbe

1) mit Examen

a) zu Michaelis 1850:

1. Eduard Wilhelm Hertzberg aus Halle,
2. Carl Friedrich Wilhelm Albert v. Bredow aus Ihlow bei Wrietzen a/O.,
3. Wilhelm Franz Adolph Hellmuth v. Rantzau aus Ludwigslust,
4. Eustathius Heinrich Bennecke aus Athensleben,
5. Albert Heinrich Oskar v. Könen aus Naumburg,
6. Heinrich Lothar v. Funcke aus Weißenfels,

b) zu Ostern 1851:

1. Max Rudolph Fritze aus Dreileben bei Magdeburg,
2. Dedo Adolph v. Krosigk aus Hohenerxleben,
3. Heinrich Carl Eduard v. Helldorf aus Wolmirstedt,

2) ohne Examen 11, in Summa 20. Dagegen wurden aufgenommen 18, so daß sich die Frequenz in diesem Sommersemester auf 91 belief, die in 7 Classen vertheilt waren.

Prima: Ordinarius Dr. Voigt, 20.
Secunda sup.: Ordinarius Dr. Dryander, 9.
Secunda inf.: Ordinarius Dr. Garcke, 13.
Tertia: Ordinarius College Nagel, 16.
Quarta a.: Ordinarius College Niemeyer, 13.
Quarta b.: Ordinarius Dr. Niemeyer, 11.
Quinta: Ordinarius College Hupe, 9.

Weitere Mittheilungen über den Lectionsplan behalte ich mir bis zum Erscheinen des Unterrichtsgesetzes vor.

Dagegen kann ich diese Nachrichten nicht schließen, ohne eines Mannes zu gedenken, der seit vielen Jahren mit den gelehrten Schulen in den Franckeschen Stiftungen in der nächsten Verbindung gestanden hat und diesen stets sehr gewogen gewesen ist. Der Geheime Hofrath Professor Dr. Gruber hat das Amt eines Königl.

Commissarius bei den Abiturienten-Prüfungen auch am Pädagogio bis zu seinem Tode bekleidet, gewiß nicht weil ihm, dem Hochgebildeten, die Theilnahme an diesen Prüfungen irgend eine Befriedigung gewährte, sie legten ihm vielmehr die Nothwendigkeit auf sich nicht selten an sehr unerquicklichen Debatten zu betheiligen; aber die Erfahrung, daß er in dieser Stellung manches schroffe Urtheil mildern, manchen harten Beschluß abwenden und viel zur ruhigen Erwägung der aus den Prüfungen gewonnenen Resultate beitragen könnte, ließ ihn selbst seine körperlichen Leiden vergessen und bestimmte ihn zu bleiben. Wir haben seine Freundlichkeit und Milde oft erfahren und werden ihm stets ein dankbares Andenken bewahren. Bei der letzten Prüfung hat der zeitige Director der Königl. wissenschaftl. Prüfungs-Commission, Herr Professor Dr. Leo, als Königl. Commissarius zu fungiren die Güte gehabt.

Dr. H. A. Niemeyer.

3. Andre tertiäre Straten aus Deutschland.

Suiten der tertiären Straten von Ilseburg, Langenweddingen, Minden, der Wetterau ꝛc. in **206**, vom Süßwasserkalk und Kalksinter in **56**, vom Lehm und Grand in **15**, vom Torf in **10**, vom Meerkalk der Jetztzeit in **8** Kasten.

4. Basaltisches Gebirge.

Basalt-Suiten aus der Eifel in **70**, von Steinheim in **26**, von der Rhön in **24**, von der blauen Kuppe in **16**, aus Sachsen und Böhmen in **50**, aus dem Breisgau in **47** Kasten.

II. Die Alpen und angrenzenden alpinischen Gebirge mit Italien.

Suiten aus der Centralkette der Alpen in **100**, vom Alpenkalk in **370**, der Molasseformation in **110**, von Padua in **50**, Petrefacten aus dem Alpenkalk in **100**, Suite aus Dalmatien und den Apenninen in **110**, vulkanische Suite vom Vesuv und Aetna in 36[illegible]

II

Suite aus Ungarn
Karpathen in **179**, Suite
der tertiären und vulkan
in **27**, Suite des Steins
tion in Frankreich und der
Straten im Becken von P
in **100** Kasten.

100 Stück Gebirgs

89 Gebirgsarten au

Diese geognostische
Herr Hofrath Keferstei
nostisch-geologisch dargestellt
1821—1831, VII Bände," und in der „Zeitung für Geographie und Geologie, Weimar **1826—1831, XI.** Stück" niedergelegt hat. Jedes einzelne Stück der Sammlung ist mit einem Zettel versehen, welcher neben dem Namen auch eine genaue Angabe des Fundortes enthält.

C. Die Petrefacten-Sammlung.

Dieselbe enthält meist Conchylien, welche von Marklin aus Upsala bestimmt sind, und zwar neben den versteinerten auch eine große Anzahl noch jetzt vorkommender Arten, in mehr als **1600** Kasten; außerdem aber eine große Parthie fossiler Knochen, c. **200** Stück von Vierfüßlern, auch Zähne vom Elephanten ꝛc., meist von Egeln aus den Spalten des Gyps.

Diese kurze Uebersicht — ein genaues Verzeichniß wird im Laufe des Herbstes angefertigt werden — möge genügen, um auf die Reichhaltigkeit der Sammlung und somit auf die Bedeutung des Geschenkes aufmerksam zu machen.

Inches
Centimetres
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

4.

Nachricht

über das

Königliche Pädagogium zu Halle.

Herausgegeben

von

[illegible]er,

[illegible]nckeschen Stiftungen.

[illegible]ng.

I. Coniecturae in Dialogum de oratoribus. Scripsit A. Th. Dryander, Ph. Dr.
II. Statistische Nachrichten über das Königliche Pädagogium, von Dr. H. A. Niemeyer.

Halle,
Druck der Waisenhaus-Buchdruckerei.
1851.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-69027/fragment/page=0041